



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

78. Cap. De Fide.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

CAPVT LXXVIII.

D E F I D E .

EA multorum etiam Christianorum est ignorantia, ut nesciant quid sit fides. Nunquid hoc deplorandum?

Quod fulgens gladius est puero, qui illum in vaginâ rubigine obduci sinit, hoc illis est fides; rarus admodum apud illos ejus est usus, vel ferè nullus; quò fit, ut vitam degant ignavam, multisque vitijs obnoxiam.

Fides inter virtutes Theologicas primum tenet locum. Fundamentum est, cui vita perfecta inniti debet.

Qui magna cum reverentia & attentione Deum precari desiderat; necesse est, ut is antea vivam eliciat fidem, quòd in Dei conspectu versetur, cum eo que fit collocuturus.

Qui pusillo abjectoque est animo, dum quid molestum à moderatoribus imperatur, is fidei actum exercere debet, quòd Deus, qui hoc illi mandat, infinite sit potens, eumque cum *S. Paulo* dicere oportet, *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Qui se gravi mœrore, inopiâ, alijsque
arumnis

arumnis oppressum sentit, necesse est ut is firmâ fide sibi persuadeat, Deum infinitâ pollere providentiâ, prenoscere rerum eventus, atque scire cur hæc omnia permittrat, & cum *Davide* dicat: *Dominus regit me, nihil mihi deerit.*

Virtus, quæ per fidem in actum deducitur, nobiliore modo exercetur. Hac ratione Sancti magna ac stupenda patrarunt, *per fidem, ait S. Paulus Apostolus operantur sunt justitiam.*

Quis induci unquam posset, ut peccata sua præsertim probrosa Sacerdoti detegeret, nisi crederet illa fore condonanda?

Quis perpetuæ paupertatis, castitatis & obedientiæ voto se obstringere? quis assiduum sibi bellum indicere? peste infectis opem ferre, inimicos diligere, iisque beneficia præstare vellet? nisi certâ fide teneret, hujusmodi generosos homines placere Deo, amplissimamque in Cælis promereri mercedem?

Fides regula & norma nostrorum omnium operum esse debet: *sine fide impossibile est placere Deo, ait S. Paulus.* Non nisi una est fides, extrâ quàm nulla speranda est salus.

Felicitas tua non consistit in eo, quod homo sis, vel ingenio polleas; sic enim hæretici, atque impij, qui humanâ etiam naturâ

naturâ sunt præditi, essent æquè felices, & daemones, qui longissimè te scientiâ antecedunt, multò te essent feliciores.

Felicitas igitur tua in eo sita est, quòd homo sis Christianus atque Catholicus, non specie, aut nomine tenùs, sed reipsâ diversarum virtutum exercitatione conspicuus.

Neesse est, ut, quidquid ab Ecclesia Catholica credendum decernitur, aut firmâ fide teneamus, aut æternis torqueamur incendijs.

CAPVT LXXIX.

D E S P E.

Spem omnem in Deo semper habere repositam nos oportet, etiam inter durissimas persecutiones; sed potissimùm cum gravi corporis vel animi necessitate premimur, aut cum de nobis videtur jam conclamatum.

Quin imò licèt videremur usque adeo derelacti, ac si Deus torvo vultu nos intuens diceret: recede à me, non novi te, totus mihi displices, nimis enormia sunt, quæ patraisti, flagitia; nihil equidem de constantiâ, firmaque nostrâ fiduciâ foret
remit